

F.K.  
117.  
63.

X 1863280

II f  
1532





H. Sad. ~~207.~~



18  
917  
MAJESTAS PRIN-  
CIPUM INVIOLA-  
BILIS,

Brevi Oratione asserta

à

SIGISMUNDO CASIMIRO,  
COMITE LYNARIÆ,

XIII. Cal. Maj. M DC LXVI.

LIPSIAE.



Typis Viduæ HENNINGI COLERÆ



MAJESTAS PRIN-

CIPUM INVIOA-

BILIS

Brevi Oracione abbeata

3

SIGISMUNDO CASIMIRO

COMITE LYNAE

XIII Cal. Maj. M. DC. LXXVI

PRINCE



Typis Viduae Henrici Gollari





Reverendissimo & Serenissimo Principi ac  
DOMINO,  
DN. CHRISTIANO,

Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae ac Montium, Po-  
stulato Administratori Episcopatus Martisburgici, Landgravio  
Thuringiae, Marchioni Misniae, ac utriusq; Lusatiae, Comiti in Marca &  
Ravenspurg, Dynastae in Ravenstein.

Domino Meo Clementissimo.



Um dicendi causam non unam habue-  
rim, praecipuam tamen ut vires peri-  
clitarer meas, scriptionis haec ne-  
cessaria visa est, ut TIBI me, Meaque  
approbarem studia, Indulgentissime Domine.  
Serenissimo eqvidem Principi Electori glorio-  
sissimae recordationis, Parenti Tuo, Tibiq;. Cel-  
sissime Princeps, devoto plurium annorum  
obsequio spectatus fuit, quem nuper mortis vio-  
lentiâ raptum non possum non lugere, Parens  
desideratissimus, idemq; in hanc pietatem suam  
Serenissimae domui Saxonicae jamdiu debitam  
atq; dicatam tanquam in praecipuam haeredita-  
tis



tis partem Me succedere iussit. Imparem quidem  
ob annos, & qui mensuram patriarum virtutum  
officiorumque implere adhuc nequeo; devotione  
tamen & cultu Tui, DOMINE, Tuæque gentis nec  
cuiquam hominum, nec ipsi etiam parenti con-  
cessurum. Quandoquidem verò Persarum Re-  
gibus & aqua muneri oblata non displicuit; Si  
Dii quoque non aspernantur, qui sibi farre pio &  
saliente micâ supplicant, bona me spes animat,  
fore ut hæc studiorum rudimenta forsitan im-  
matura, & styli filique solocioris eo vultu accipi-  
antur, quo affectum Tuorum æstimare & solari  
desiderium consuevisti. Eaque fiducia subnixus ad  
genua Tua devolve informem ingenii partem,  
ut tollere digneris, supplici prece oro & exoro.  
Veneror infinitam Numinis bonitatem, ut Te,  
Domine, cum Coniuge familiâque Illustrissimâ  
incolumem diu servet, & in gentium decus lau-  
demque virtutum, quas in Te noster orbis admi-  
ratur, æternâ gloriâ, ferò tamen, coronet. Lips.  
XIII. Cal. Maj. M DC LXVI.

*Reverendiss. Seren. Tue*

*Subjectissimus*

**SIGISMUNDUS CASIMIRUS**  
Comes Lynariæ.





Magnifice Domine Rector, Proceres & Patres utriusq; Reipublicæ. Viri Magnifici, plurimum Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Spectabilis, Excellentissimi, Clarissimi, Eximii, Præstantissimi, Humanissimi. Tuq; nobilissima, florentissima, & genere, eruditione ac virtute fulgentissima Corona.



Apientes Poëtarum fabulae, commentaque produnt: Cum Prometheus homines fecisset, flagrâsse eum cupiditate experiundi, an & consentientes, unanimesq; futuri essent: quem in finem capita corporibus nondum juncta in corbem composuit, ea in cacumen montis deportavit, ibiq; effusa, prono decurrere passus est impetu: quo facto quodvis caput suam sibi capiebat viam, ex quo deinde conclusit, quos facere destinabat homines, rarò & paucos consentientes inter se fore. Experientia quotidiana id satis docet: nec admodum sæpè evenit, ut plurium eâdem de re eadem sit sententia, idemq; iudicium, aut ut aequale plures eidem pretium ponant. Quâ in re prolixos esse non opus est, ante oculos versatur diversa & contraria de principum, regumq; conditione opinio. Ut enim silentio præteream; unâ ex parte haereticos Schismaticosq;, qui hunc ordinem penitùs rejiciunt contemnuntq;, & ex Ecclesiâ radicitus extirpandum esse censent: quemadmodum id exempla sectae Tremantium nostris, Anabaptistarum autem, majorum nostrorum temporibus plus satis demonstrarunt: Ut silentio præteream arrogantes, animiq; vehementer elatos Pontifices Romanos, qui omne omninò imperium



perium civile non multo pluris aestimant, quam Judaei praetorium Pilati; Unde & Maximus sanctissimusq; scil. Pontifex Sylvester hujus nominis I. universis Clericis suis, ne ullâ ex causâ in curiam aliquam seu locum judicii accederent, prohibuit; additâ ratione, *omnem curiam esse cruorem, & quod in illis agatur, immolationem simulacrorum*: Reperiuntur quoq; & haecenus quibusvis ferè temporibus reperti fuerunt, inter hos, qui prae aliis sapientiae magnae conscii sibi videntur, & quibus ab aliis etiam laus singularis alicujus prudentiae attribuitur, quidam, qui de Principum Majestate abjectè fati sentiunt atq; tenuiter. Quoniam enim non obscurè vident, eos quoq; homines esse, qui pari cum aliis conditione mortalitatem circumferant, quiq; ex genere primi hominis ortum & ipsi traxerint: In utero Matris similiter formati & coagulati: quiq; communem cum aliis aërem hauserint: in terram iisdem incommodis malisq; obnoxii, expositiq; casibus deciderint; primam vocem similem reliquis flentes emiserint, inq; fasciis cum curâ & sollicitudine fuerint educati: Exinde sibi persuadent, nullam iis prae reliquo mortalium genere, per Deum & naturam benigniorem collatam esse praerogativam. Esse enim & Regi non aliud initium vitae; sed unum omnibus in eam ingressum, & parem exitum; *Regum sapientissimus* confitetur, *Generariq; & nasci à Principibus fortuitum tantum esse, nec ultra aestimandum*: Uti ipse Imperator *Galba* apud *Tacitum* in eam sententiam loquitur. Et nostri Germani hodierno die in proverbio habent:

*Adam dum raistro terram subvertit & Eva*

*Fila net. Ecquis ibi nobilitatis honor?*

Exinde quoq; apud tales contemptus Principum augetur, quoniam, quod ex priori ferè descendit, illi pariter, ut coeteri inferioris conditionis homines, non tantum imbecillitatibus humanis obnoxii, sed & multis, maximisq; saepè numero vitiis obruti sunt; quae eò magis oculos, animosq; aliorum incurrunt, quò majori in fastigio, is, qui iisdem maculatus est, versatur. Unde Poëta pulcherrimè canit:

*Omne animi vitium tantò conspectius in se*

*Crimen habet, quantò major, qui peccat, habetur.*

Quod igitur iis accidere consuevit, qui in Cacumine montis existentes descendere cupiunt, ut cum semel cursum inceperint, postea nullo modo sistere eum possint, sed saepius se praecipitent: pari ratione, qui sibi persuasum habent, verticem dignitatis, Majestatisq; Principum, secundum suam opinionem subjectum populo esse; In de-

scensio-



Ascensione, in ejusmodi abjecti contemptus vallem, ceu voraginem de-  
cidunt, ex quâ extrahere eam rursus nequeant, sed summa Orbis Ca-  
pita cuiq; plebejo aequiparant, ipsorumq; delicta, in iudicium popu-  
li deducere, & plectere non dubitant. Quemadmodum autem hi in  
eo valdè errant, quod reverentiam Principibus, quam decet, non ex-  
hibent; sic alterâ ex parte aliqui reperiuntur, qui aut ex ignoran-  
tiâ, aut ex adulatione, Principes divino honore afficiunt, eosq; vel  
supra Deum ejusq; sedem extollunt, omnia ipsorum facta, in perni-  
ciem ipsorum propriam & laudant, & approbant, & praedicant. No-  
tum est, quomodo plebecula adulatrix, Herodi Agrippae concionan-  
ti, acclamaverit: *Dei voces hae sunt, non hominis. Confestim autem  
percusit eum angelus Domini, eò quod non dedisset honorem Deo, &  
consumptus à vermibus, exspiravit.* Quod dirae immanitatis sup-  
plicium fortassis effugisset, si absq; his adulatoribus ex mendaciis &  
falsiloquentiâ conflatis fuisset. His ferè similis erat *Pater Impera-  
toris Vitellij Lucius* homo miri in adulando ingenii; cum enim re-  
versus ex Syriâ esset, non aliter Caligulam adire instituit, quam *vela-  
to capite, circumvertens se, deinde procumbens*, quod Deis fieri sci-  
licet solebat. Sunt Principū aliqui suapte sponte proclives ad superbiâ  
& ob fortunæ magnitudinē sibi imaginantur, se conditionem mortaliū  
superare, & numero Deorum accensendos esse; Quem diximus,  
Vitellio non adeò magno labore ea res constitit, ut Caligulae persua-  
deret, ipsum pro Deo adorandum esse, mox Latialis Jupiter consa-  
lutari voluit, & tantum non flammam ejus, & non imitabile fulmen  
exprimere. Eodem ferè modo Alexander facilè animum induxit,  
ut se à Jove Ammone procreatum crederet. Et successor ejus An-  
tiochus, mari imperare, montesq; imponere montibus, suae potesta-  
tis esse praesumebat. Adeò ut Barbarus ille Xerxes non solus hanc  
insaniverit insaniam, cum mari compedes injicere conatus est. Do-  
mitianus nullo instigante eo fastu intumuit, ut edictis suis illud prae-  
mitteret iaculum, *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* Et quid de  
Ethnicis Principibus loquimur, quorum obtenebratus intellectus,  
ejusmodi superbiae nebuloso typho facilè obscurari, pervertiq; po-  
tuit; & gloriosissimum Christianumq; Imperatorem illum Justinia-  
num, si *Svidae*, & qui forsitan ex eo accepit, *Cuspiniano* credimus,  
persuasit Tribonianus consiliarius, mortalitatis legibus solutum,  
corpore non minus quam animâ coelos petiturum. Quemadmo-  
dum igitur quidam Principes, partim superbiâ impulsī, partim adu-  
lationibus corrupti, divinos honores receperunt: Ita eorum longè  
major



major est numerus, qui consideratione insignis potentiae, & felicitatis suae dementati, omnes suas actiones pro justis haberi, neque ulla legum repagula affectibus suis saepe inordinatis volunt objici. Nemo inficias ibit Cajum Julium Caesarem multis maximisque praeditum virtutibus fuisse: Qui non minori eruditione quam fortitudine, magnifica liberalitate, & singulari clementia insignis paucos sibi pares habuit: His omnibus non obstantibus ridens perpetuo fortuna eum ita de statu mentis dejecit, ut mandaret homines in posterum *cautius secum loqui debere, & pro legibus habere, quae diceret.* Quo hodierno die nonnulli quoque sententiam *Ulpiani* trahunt:

*Quod Principi placuit, Legis habet vigorem.*

Quasi vero omnes actiones Principum, etsi jus divinum & naturale violent, ab omnibus collaudari, & approbari & in exemplum legemve trahi debeant. Cum igitur tales Magistri obtingunt animo, in hoc vel illud vitium proclivi, non mirandum si is postea perversae inclinationi & inordinatae voluntati indulget. Cambysem lex & reverentia naturae a conjunctione sororis absterrebat; per consiliarios ejus effectum est, ut incestu sese pollueret, qui nempe de lege, quae forori nomen uxoris indulgeret, interrogati, respondebant, Regi licere quod liberet. Imperator Claudius filiam fratris sui in matrimonium non accepisset, absque Vitellio, & parato ad servitum senatu Romano si fuisset, qui ad arbitrium Imperatoris legem tulerunt, *ex qua justa patris cum filiabus fratrum connubia* essent: quae tamen, ut *Tacitus* sentit, universa Roma fugit, & excepto uno aliquo promissione singularis ab Agrippina gratiae commoto equite, nemo fuit, qui tanta propinquitate sanguinis junctae matrimonium sese copularet. Complures tales a Divino Numine prohibita Nuptiae ex. gr. ut idem duas sorores & vice versa eadem duos fratres, aut alias contra divinam dispositionem Levit. 18. aliquam matrimonio sibi jungat, non coirent, nisi Vaejovis Romani dispensatio, pecuniam venalis prosteret. Et quid de aliis peccatis dicam, in quae Principes adulationibus suorum seducti, praecipitant, quibus nunquam macularentur, si ipsis probe instillaretur, quod supra homines quidem & leges humanas, non autem supra Deum & mandata divina sint positi. Quapropter optimus Imperator *Theodosius* verè & sapienter locutus est: *Digna vox est Majestate Regnantis, legibus obligatum se Principem profiteri, adeo de auctoritate juris nostra pendet auctoritas, & revera majus imperio est, submittere legibus principatum.* Quot non necessaria bella & caedes omissae fuissent, si Principes recordarentur, adstrictos semel esse, ut

se, ut



se, ut Deo de sanguine subditorum rationem reddant, nec licitum ipsis, subditos ut Gregem ovium laniæ exponere. Infinitæ exactiones, quibus miserrimis populis sanguis & tantum non anima exhauritur, & sæpius in res nihili impenditur, non tam crebro in usu essent, nisi quidam forent, qui principibus persuaderent, omnia subditorum bona, ceu in patrimonio Principis esse, ut ea pro lubitu dispenseret. Hoc ex fundamento Naboth vineam cum vita perdidit, Quamquam magno Achabi malo; fructus enim loco universæ ejus familiæ exitium enatum est. Eodem ferè modo, ut in Vita Imperatoris Friderici Primi, aut ut alii volunt Imperatoris Henrici septimæ legitur, celebris ille Colax, qui dixerat, proximam arcem esse Imperatoris, hæc ex regula generali, quia omnia sunt Imperatoris, pignori depositum equum abstulit quidem, veruntamen per injuriam, quam ejus seculi homines aded non tacitam prætermiserunt, ut frequenti potius sermone jactaretur versiculus:

*Dixerat hic equum; sed tulit alter equum.*

Sed nimis diu hæc in materiâ immoror, & modum exordii ferè excessi. Meum hoc erat propositum, ut demonstrarem, amborum perverfas opiniones esse: & eorum, qui Principes ad communem plebejorum hominum sortem detrudunt, ideoq; delicta ipsorum secundum leges communes, imo per ensen Carnificis, mediante sententiâ Vulgi, punire audent: Et eorum, qui eos supra Deorum conditionem extollunt, omniaq; ipsorum justè, injustè facta collaudant, & prædicant: Cum tamen medium iter insistere detur, adulatione pariter & contemptu vacuum. Quoniam verò priores reipub. maxima damna inferunt, & omnia unâ ruinâ involvunt, quemadmodum id exempla & nostrorum temporum plus satis manifestum reddiderunt: Ideò impetum cepimus ostendendi *Principum majestatem semper inviolabilem, & vim ipsis illatam injustam esse.*

Quò sublimius itaq; argumentum hoc orationis meæ est, quò utilius tranquillitati & securitati publicæ, eò majori fiduciâ subnitor, vestram benevolentiam suppleturam, quidquid eloquentiæ meæ deficit. Non enim, ut præ aliis videar, aut alios doceam, Cathedram hanc conscendi, quin potius vires meas periclitari, & præterea ostendere volui, me hic exactum tempus non planè inutiliter impendisse. Etsi igitur magnitudo suscepti operis vires meas superat, nullus tamen dubito, vestram sæpius perspectam humanitatem, quam nemini adhuc denegastis, etiam opportunum mihi auxilium, quo susceptum negotium ad finem deducere queam, præbituram.

B

Pericu-



Periculosa plenum suscepi opus alex, quod quò magis pro-  
vehor in altum, eò gravius atq; difficilius mihi videtur. Præcipuè  
cum etiam ipsa hæc vocabula Principis & Subditorum, visque non  
uni interpretationi subjaceant. Et principum quidem nomine,  
sicuti facile omnes eos intelligi patimur, quibus est potestas in alios,  
ita quoniam diversi ordines sunt, & ceu gradus, priusquam perve-  
niatur ad sumum, concedere possumus, ut quicquid dicere institui-  
mus, certo modo de omni superiore intelligatur, hoc tamen discrimi-  
ne, ut præcipuè ei conveniat, qui sic in alios imperio utitur, ut ipse  
nullius imperio subfit. Sunt & Subditorum variæ classes, nec unius  
omnes conditionis: Nonnulli sunt quasi in patrimonio Principis;  
Nonnulli recepti sunt in partem summæ potestatis, & quasdam certas sibi  
partes excepere, quas absolutæ voluntati Principis non tradiderunt,  
& hi posteriores procul dubio meliori conditione utuntur. Sicut  
enim probare nullo modo possumus, si Majestatem Principis nlli sub-  
diti sponte violare præsumant, sic è contrario in posterioribus im-  
probare simpliciter non possemus, si vim injustè illatam licitâ & con-  
venienti defensione propulsent. Imo & vis non unius modi est.  
*Tertullianus* quandam vim, quæ & Deo placeat, si ipsi inferatur, com-  
memorat; *Comus* inquit, *in cœtum & congregationem, ut Deum quasi  
manu facta precationibus ambiamus orantes, & hæc vis Deo grata  
est.* Si itaq; & merè subditi de onerum continuâ gravitate & jugo  
suorum vires humerorum superante subjectissimis precibus querun-  
tur, Eo Princeps etiam absolutus offendi non potest aut debet, nisi o-  
mnem humanitatem exuisse videri velit.

His præsuppositis affirmamus, omnem aliam vim in legitimos  
& summos Principes, qui per electionem aut successionem ad impe-  
rium pervenerunt, commissam, injustam esse; sive eum vi armata  
expellant, sive per submissos Sicarios trucident, sive veneno è medio  
tollant subjecti. Sanctissimus equidem, si credere fas est, Pater Papa  
Sixtus V. detestabile illud facinus Monachi nefarii Jacobi Clementis,  
quo Henricum III. Regem Gallia anno 1589. venenato cultro perfo-  
dit, ut factum heroicum collaudavit: & boni piiq; Jesuitæ, extremus  
foetus ejus, qui homicida erat ab initio, sodalem suum Henricum  
Garnetum, conspiracy (in quâ Regem Angliæ Jacobum VI. anno  
1606. cum tota familia omnibusq; magnatibus & Proceribus regni,  
subjecto pulvere pyrio in aërem dissipare, destinaverant) participem,  
aut certè conscium, ideoq; meritò supplicio affectum, numero Mar-  
tyrum & sanctorum gloriosissimi scil. sui ordinis, adscripserunt. Quan-  
quam



quam non mirandum, eos libenter Bombardam, gladiumq; tractare, quorum primus fundator miles extitit ex eo genere, cui Poëta jam à longis temporibus elogium hoc dedit:

*Nulla fides pietasq; viris qui castra sequuntur.*

Ubinam autem Dominus & Redemptor noster Jesus Christus, cujus Vicarium Pontifex se esse jactitat; ubinam Apostoli & Discipuli ejus, quorum imitatores Jesuitæ se esse profitentur, id jusserint, aut permiserint? ignoro. In sacrâ scripturâ contrarium potius invenitur & nostra superius allata thesis in eâ expressè confirmatur. Paulus Apostolus *omnem animam adhortatur, ut potestatibus sublimioribus subdita sit*: Et geminam causam obedientiæ adducit; Unam à parte Magistratus, quia sit ordinatio divina: Etenim sic loquitur: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*: Alteram ex parte subditorum, quia sibi damnum suo jumento accerfant, quippe in hæc erumpit verba, *qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Et Petrus, cujus successionem Pontifex præ tendit, præcipit, *ut subjecti simus omni humanae creaturae propter Deum: Sive Regi, quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*. Reperiuntur quidem aliqui Monarchomachorum, qui peculiare effugium se invenisse credunt, dicentes, Apostolos tantum loqui de bonis ac justis Principibus quamdiu scilicet bene regnum administrant: Sed quoniam in loco hæc limitatio extat? & cui usui est? quisq; enim sanæ mentis in proprium commodum bono Principi obedientiam præstabit. Si hæc limitatio congrua esse debet, æquè etiam dominis ac Patribus in Oeconomicâ societate applicabitur. Sed Petrus jubet, *servi subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis*. Et liberis incumbit, ut pareant, non tantum piis parentibus, sed & perversis & morum improbitate molestis. Quapropter & Justinianus Imperator verissimè dixit: *Quamvis legum contemptor, quamvis impius, Pater tamen est*. Et quare in hæc tam clara & manifesta re diutius immoremur? Videantur exempla tam Veteris, quam Novi Testamenti, reperietur, subditos regibus suis obedientiam, quam decet, juxta divinum nempe mandatum exhibuisse, nunquã verò concessum illis fuisse, ut eorum obsequium exuerent. Primus Rex Hraëlitarum erat Saul, quem Deus ob delicta postea repudiavit, & in locum ejus Davidem solenni unctione substituit; Saul igitur sive aliquid de eâ re compertum habuit, sive aliàs livore impulsus suo (quoniam iniquo ferebat animo, cantatum à puellis: *Percussit Saul mille,*



mille, David autem decem millia) Davidem quam atrocissimè persecutus est: Nullibi tamen occurret in sacris litteris, Davidem rebellionem concitasse, aut adversa Sauli castra posuisse. Quin potius, cum Deus Saulem huic injustæ persecutioni intentum, bis in manus Davidis conclusisset, & primores Davidem admonerent, ut hâc occasione ipsum interficiendi uteretur; respondebat: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo unctio Domini, ut mittam manum meam in eum, quia unctus Domini est.* Et secundâ vice agebat; *quis extendet manum suam in unctum Domini, & innocens erit?* & juramentum præterea interponit, dicens: *Vivit Dominus, quia nisi dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit, ut moriatur, aut in prælium descendens perierit; propitius sit mihi Dominus, nec extendam manum meam in unctum Domini.* Exemplum hoc latius diduci posset, si temporis ratio ferret. Unum præter hoc & alterum adducemus. Joas Rex Judæ, qui multis affectus erat beneficiis à Sacerdote Jojadâ, filium ejus Zachariam inter templum & altare jusserat interfici. In ultionem sanguinis liberorum Jojadæ, surrexerunt contra eum servi sui & eum in suo sibi lectulo occiderunt. Speciosus reverâ horum prætextus erat, quod voluerint sacerdotes summam per injuriam mactatos, ulcisci. Quò etiam David adversus Saulem, interfectorem Sacerdotum Nobensium ergò, uti poterat. Sed nihilominus hi regicidæ postea justo supplicio poenam exsolverunt. Ammonem vero Regem haud dubiè impium, simili ratione sublatum, universus vindicavit populus. Et cur diutius huic negotio insistimus? Aspiciantur exempla omnium fermè regum, tam Israëlitis quam Judæ, inveniatur, eos idololatriâ & innocentum sanguine maculatos fuisse, populum exactationibus tributisq; oppressisse, & exhausisse, & aliis multis magnisq; delictis sese inquinasse. Nullibi tamen, populo à divino numine mandatum, ut legitimum suum regem deponerent, expellerent, aut occiderent. Quod si jam nos ad Novum conferimus Testamentum; Rex Herodes incestum commiserat, & præterea in gratiam lascivæ saltatriculæ Johannem Baptistam, quem omnes ut Prophetam admirabantur, carnificis gladio subjecerat; Nullibi verò discipulis, ac auditoribus ejus & suis Christus mandavit, ut cultrum arreptum (more scilicet Jesuitico) ejus cordi adigerent, aut rerum gubernaculis ipsum depellerent. In Nerone Imperatore tanta colluvies omnium vitiorum erat, quanta fortassis adhuc in nemine fuit; vitricum veneno necaverat, matrem suam, uxorem, fratrem adoptivum, Præceptorem, & innumerabiles alios,

con-



consulares & Senatores Romanos equitesq; trucidaverat, Romam incenderat, bona imperii dilapidaverat, omnia omnibus per vim eripuerat, omni genere præposteræ & præternaturalis libidinis flagitiosissimè sese polluerat, & reverâ erat portentum quoddam & prodigiû generis humani. Nihilominus publicis Orationibus Christianorum ab Apostolo Paulo commendatur; Sicuti & Tiberio, non multò meliori Christus tributum jussit persolvi.

Quemadmodum autem Dominus & Salvator noster Jesus Christus; quemadmodum Apostoli ejus hac in parte se gesserunt; sic illos Christiani primæ Ecclesiæ imitati sunt. Ab Ethnicis quidem Imperatoribus, per trecentos annos priores post nativitatem Christi, in decem ingentibus persecutionibus, tanta Christiani sanguinis effusa copia est, ut sæpius torrentis aut fluminis instar profluxerit, nec potuerit iniri numerus, præ multitudine occisorum. Nunquam tamen occurret, Christianos contra ejus temporis Imperatores Romanos rebellionem coeptasse. *Arguimur, inquit Tertullianus, læsæ Majestatis, quis autem unquam Christianos, ut Albinianos, Nigrianos, Casianos, verbo dicam, ut rebelles invenit?* Hæc enim Calumnia in Christianos non est recens, & jam Christum innocentissimum hoc crimine oneraverunt, quod populum seduceret, & interdiceret solutionem tributorum ab Imperatore impositorum. Contra ea idem Scriptor Ecclesiasticus de Christianis sui temporis loquitur, quos Severus Imperator persequebatur, ipsosq; per gravissima tormenta sæpè numero excarnificabat. *Omnibus Imperatoribus precamur vitam prolixam, Imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumq; hominis & Caesaris vota sunt.* In hanc sententiam eunt Scriptores Sacri omnes, qui semper id inculcant, se cum suis preces fundere, ut Deus Imperatoriam Majestatem conservet, & meliorem mentem ei infundat; sicuti *Justinus Martyr* asserit, Christianos nolle apertis manifestisque injuriis, quæ ab Imperatoribus Romanis & præsidibus provinciarum atq; proconsulibus afficiebantur, vi resistere. Ne autem existimare quis posset, extremam istam patientiam ex impotentia fluere, & eos ideò sese non defendisse, quoniam facultatibus destituti fuerint, quia omni ex parte verum est, quod *Seneca* prodit: *Multorum, quia infirmi sint, latere vitia, proditura, si ipsis vires sue placuerint.* Sæpè nobis laudatus *Tertullianus* eis contrarium demonstrat, & non solum ad id provocat, quod adversarii sui, idololatræ scilicet Ethnicæ, conqverantur, *omnes civitates, omnes pagos, omnes*



arces, omnes Insulas, Christianis repletas esse, & omnem sexum, aetatem, conditionem & dignitatem ad hoc nomen transgressam; sed & ostendit, si absq; ullâ violentiâ subtrahere se faltem vellent, & separare ab idololatrarum consortio, non parum damni eos incurfuros esse. Verba ejus digna sunt, quæ recitentur ex Cap. 37. Apologetici. *Si hostes, ait, exertos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deesset nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipsiq; Parthi, vel quantacunq; unius tamen loci, & suorum finium gentes, quam totius Orbis. Hesterni sumus & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, Conciliabula, Castra ipsa, tribus, Decurias, palatium, Senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuisset, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere? Potuimus & inermes nec rebelles, sed tantummodo discordes solius divorij invidiâ adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum, in aliquem orbis remoti sinum nos abruptissemus à vobis, suffudisset utiq; dominationem vestram tot qualiumcunq; amissio civium, imò etiam & ipsâ aestitutione punisset.* Arbitrari quidem posset quispiâ, Christianos in primitivâ Ecclesiâ ideò mansuetudini ejusmodi studuisse, quo adversarios suos, præprimis Imperatores suas in partes pertrahere tanto possent facilius, hoc autem perfecto, & posteaquam Constantinus Magnus fidem Christianam amplexus esset, majore zelo latos fuisse adversus hæreticos; verum nihilominus reperitur, eâdem modestiâ eos quoad fugam violentiæ in Principibus à fide aberrantibus usos fuisse, quâ antea Ethnicis Imperatoribus exhibuerant. Non multo post obitum Constantini Magni, Constantius ad sectam Arianorum transgressus est, nihilominus Episcopi Christiani in Oriente agnoscunt, Imperatoriam ejus Majestatem à Deo esse, cui propterea resisti non debeat. Et Episcopi Arimini congregati, subjectissimâ cum reverentiâ dimissionem ad Ecclesias suas petunt, ut cum suo quisq; populo pro statu potentiæ Imperatoriæ orare queant. Julianus summus simulandi Artifex & vaferrimus persecutor erat Christiani nominis; Nihilominus *Sanctus Augustinus* diu post mortem ejus (ubi diversum si scriberet, nullum erat periculum) in commentario suo in Psalmos, milites ejus collaudat, quod propter Regem æternum huic temporali Domino promptissimè obsecuti fuerint, & contra hostes adversus quos ducebantur, fortissimè dimicaverint. Et quam cautè se gerit *Ambrosius*, cum Imperator Valentinianus à matre sua

sectæ



sectæ Arianorum deditâ, instigatus, templum ab eo postularet; Imperator ipse confitetur, si Ambrosius populo tantum innueret, eum arma arrepturum & ob defensionem Basilicæ & Episcopi sui milites Imperatoris depulsurum, imò forsitan & Imperatorem ipsum in suam potestatem redacturum esse: Ille vero quam vehementissimè obstabat, uti *Ruffinus in historiâ Ecclesiasticâ* prodit, & prohibebat, ne seditio aut cædes oriretur, neve à Cæsare intentata injuria, qui nempe Basilicam per milites occupare decreverat, illicitis armis repelleretur. Sed tempus me destitueret, si omnia, quæ in sanctis Patribus aut historiis reperiuntur, huc facientia adducere vellem. Sat est, si dico, quod posteaquam divinæ misericordiæ placuit, lumen Evangelii ex tenebris exsuscitare, eadem doctrina fuerit *Beati Lutheri*, aliorumq; quotquot Christiani & Orthodoxi Doctores audiunt, quod Magistratui etiam hæretico seu Tyrannico arma non liceat inferre. Cum ex adverso illa ab orco furia Pontifex Gregorius septimus & ipsius successores facultatem istam indebitam sibi sumpserint, Imperatores Regesve, qui se ad ipsorum Arbitrium non componerent, nec ipsorum avaritiam, sacrilegia, superbiamq; approbarent, excommunicandi, è regnis ejiciendi, regna ad alios transferendi, summatim totius orbis Imperium sibi arrogârint. De quo etiam *Augustana Confessio* conqueritur, et exemplum Pontificis Julii secundi, ut antiquiora taceam, ante sesquiseculum præterpropter attestatur, cum regnum Navarrae legitimo suo Domino abstulit, & id Ferdinando Regi Hispaniæ occupandum concessit. Quod etiam in regno Galliæ & Angliæ à Pontifice factum fuisset, si æquè facile occupare Hispani aut alii, ac promptè donare Papa potuisset.

Sed præter necessitatem immoramur his diutius, deprehenditur enim & lumen naturæ prudentioribus Ethnicis aliud demonstrâsse. Quemadmodum enim homo naturâ comparatus est ad sectandam societatem, sic eum natura facile docet, eam ipsam sine ordine consistere non posse, nisi velimus omnes passim pecorum instar oberrare. Quamquam, si inclinationem animantium gregalium consideramus, reperitur, ea non tantum ductorem suum sequi, uti oves Arietem, sed etiam ei prospicere, nec ei resistere. Quemadmodum simile quid de apum rege & Republ. commemoratur. Si igitur benignior natura homini non tantum ejusmodi instinctus concessit, quibus animalia bruta prædita sunt, sed etiam facultatem ratiocinandi ei communicavit, eo ipso docuit illum atq; instruxit, ne ordinem à se propositum turbet seu corrumpat. Procul dubio est, paternam



ternam & dominicam, & illam manifestius quidem quam hanc (quoniam Juris consulti & Philosophi ferram contentionis adhuc inter se reciprocant, an quaedam servitus sit à naturâ) ordinatam secundum naturam esse societatem, & patrem in ea locum capitis tenere, alios verò membra repræsentare. Nonne igitur perversa ratio foret, si cætera membra caput à loco suo & regno depellerent, & id aut in alium corporis locum reponerent, aut planè rejicerent, & à suo consortio separarent? Eodem genere dementiae agitantur, qui principes tanquam caput Reipubl. aut à suo loco detrudunt, & iudicio insani populi subjiciunt, aut totum corpus pessundant & ipsius compagem dissolvunt, ita ut deinde omnia fursum deorsum ferantur. Pari modo ut Poëta Chaos suum describit:

*Ubi nulli sua forma manebat*

*Obstabatq; aliis aliud, quia corpore in uno*

*Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,*

*Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

Licet verò hæc secus essent omnia, & neq; divina neq; naturalia iura vim prohiberent in principes non exercendam; poterat tamen avertere Subditos & absterrere maximum & irreparabile damnum, quod exinde oritur. Nunquam enim regnum quietum & securum esse potest, in quo populi in potestate situm est, ut principi obsequiū neget, aut eum è medio tollat. Nam & aliàs non absq; magno periculo turbandæ quietis publicæ contingit, si quando communis omnibus mortalitatis lex mutandi Principis necessitatē infert; quanto plus calamitatum ac turbarum exoriretur, si hæc mutatio ex arbitrio rudis plebeculæ, aut malè quiescentium ingeniorum institueretur. Verissimè *Seneca* prodidit, *Princeps Vitalis Spiritus est, quem hæc tot millia trabunt, nihil absq; hoc futura, nisi cinis & pulvis, si mens illa imperij subtrahatur.* Et id exempla omnium & singulorum temporum plus satis attestantur. Liceat mihi unum atq; alterum adducere, & quidem Romana ex historia, utpote quæ passim notissima est, & ex qua communiter exempla citantur. Quidam Romanorum Procerum ægrè ferebant, quod *Julius Cæsar* Pompejo devicto omnia in sese munia Magistratum legumq; traheret, & si quæ dixerat, pro legibus haberi vellet, nec deerant qui per disseminatos libellos famosos & seditionem spirantes schedulas indignationem populi augerent. Videlicet cum sub statua *Bruti* scriptum reperiebatur, *utinam viveres!* Sub *Cæsaris* autem statuâ, *Brutus, quia reges ejecit, consul primus factus est: Hic, quia consules ejecit, rex postremo*



*postremò factus est.* Ideò his tanquam stimulis excitati, & suapte malitiâ impulsî Brutus & Cassius in Cæsarem conspirabant, & ex improviso eum viginti tribus vulneribus in curiâ trucidabant. Quo autem eventu? Ut silentio præteream, Deum hos parricidas tantum non manifestissimè punivisse, dum nullus eorum suâ siccâq; morte ad generum descendit Cereris, nonnulli suis manibus & eodem pugione, quo Cæsarem læserant, perierunt; quod diversi historici probè ac disertè annotarunt: Ad eam totum, quæquæ patuit imperium Romanum, exinde miseriam pervenit, ut omnes fermè loci sanguine Romanorum repleti fuerint, neq; ullus unquam Tyrannus Reipubl. tantum damni & noxæ intulit, quantum Brutus & Cassius, qui Tyrannidis expulsores videri volebant, sicuti celeberrimus *Bæclerus* id rectissimè animadvertit. Quid de Nerone hic commemorem, cujus crudelissima & immanissima facinora, nec calamus exprimere fatis, nec effari lingua poterit. Cum ille adnitente Senatu, & Galbæ ac Vindicis motu, de rerum gubernaculis depulsus manu interisset suâ: Brevi deinde post & intra unius anni circiter spatium rebellionē triū Principum, Galbæ, Othonis, & Vitellii, & cæde, tot tantaq; mala in Romanum ingruerunt orbem, & tot Senatores, aliiq; illustres viri perierunt, quot Nero per quatuordecim annos Imperii maximam partem summam per inhumanitatem exacti non occiderat. Ideò de quolibet Imperio verum, quod de Romano *Cerialis* apud *Tacitum* prodit. *Cùm semel coaluit Imperij compages, convelli absq; convellentium exitio non potest.* Et quod *Favonius* apud *Plutarchum* affirmat, *pejus deteriusq; esse injusto tyrannicoq; imperio Bellum civile,* quod ex hâc in Principes usurpatâ vi necessariò nasci oportet. Quapropter boni, addo pii & Christiani subditi officium est: *Bonos Principes voto expetere, qualescunq; tolerare, & quomodo sterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, sic luxum & avaritiam, & si quæ alia sunt vitia dominantium ferre.* Quem in finem *Michaël Palatinus* Ungariæ olim apud *Bonsinium* verissimè sensit, *Regi coronato, etiamsi Bos esset, obtemperandum.*

Jam etiam illa confutanda essent, quæ Monarchomachi hîc objicere consueverunt, dum & sacram scripturam eò detorquent, & suam opinionem ex Scriptoribus profanis defensum aut exemplis demonstratum eunt. Quorum ex partibus stare visus est Pontifex *Sixtus V.* Cum enim comperisset quod Trifurcifer ille Monachus Henricum tertium Regem Galliæ cultro confodisset, hoc facinus apprime collaudavit, & cum *Ehudi* exemplo comparavit. Quæquam

D

Papistæ



Papistæ mallent orationem istam in Consistorio Cardinalium habitam, sacrilegam profecto, & ferè dixerim, Blasphemam, non in tot hominum pervenisse manus: neminem tamen latet, factum illud Ehudi cum singulare & Heroicum esse, quod ideò non statim imitationem trahendum: tum Ehudem subjectum Egloni non fuisse, quapropter hoc exemplum nullatenus quadrat, non magis, quam si ex Romanis historiis Mutii Scævolaë, qui Porfenam apertum Romanorum hostem, hostis ipse necare voluit, factum ad defendendum immane scelus Regicidarum adducere quis vellet.

Sed nimium diu inhæreo instituto. Quare licet multa adhuc dicenda forent, tædium tamen & satietatem vestram mihi vitandam, nec vestrâ benevolentiam abutendum intelligo. Oratio hæc mea voto finienda erit. *Deum igitur Teropt. Termax. auctorem & statorem Imperiorum deveneror, ut omnibus & nostris præcipuè Principibus intelligentem divini humaniq; juris mentem dare velit, ut quandocunq; terris illos subduxerit sua dies, subditi laude bonisq; recordationibus facta atq; famam ipsorum prosequantur.*

Vobis vero, Magnifice Domine Rector, utriusq; Reipubl. Proceres Amplissimi, Vobis, Nobilissimi & Præstantissimi studiosi, Vobis inquam omnibus & singulis gratias ago quam maximas, quod magnum hunc favorem præstare mihi, & Orationi huic non admodum comptæ, concatenatis negotiis vestris sepositis, vacivas aures præbere non dubitavistis. Redhostimenti loco nihil jam est quod offeram spondeamve, quam quod apud memorem vestri hujus facti gratia perpetuò mansura sit. Et quoniam vestram, Magnifice Academiae Rector & utriusq; Reipubl. Proceres inclyti, benevolentiam multis rerum argumentis mihi declaratam sæpius perspexi, eam non tantum gratias agendo agnosco, & pro viribus promerebor & pensabo: Sed & maximopere rogo, ut in hoc affectu & favore erga me quamquam absentem perseveretis. Ita facilius mihi erit, quod jam acerbum & triste dictu videtur, Vobis nempe Valedicere: Dicendum tamen est, Valete, Valete, mihiq; favete, Deus Vos omnes conservet bono publico diutissimè sospites atq; florentes.

D I X I





# Carmina Gratulatoria.

---

**V**IOLENTA QVÆ SUNT, HAUD MANERE  
DIU QVEUNT.

Ut PUBLICÆ Mors est REI Licentia  
REGNANTIS impotens, suiq; EVERSIO;  
Sic pestis est REGI sibiq; SUBDITUS  
Rebellis, immitisq;, contumax, ferens  
Humeris iniquis Pōndus æqvum sat Jugi.  
ET QVÆQ; VIS IN PRINCIPEM EST INJURIA  
MAXIMA, SUBEST QVÆ, GENTIS imprudens licet  
Veletur arguto ista culpa Nomine.  
ORATOR hæc illustrius dum dislerit  
ILLUSTRI S, ostendit suam scientiam,  
QVÂ SUBDITOS regere IMPERANS novit Manus:  
Simulq;, dum deposcit OBSEQVIA PIA,  
Et CIVIS hinc intelligit DOMINUM PROBUM.

*Officiosissimâ manu appos.*

Paulus Wagner / D. Supr. Cur. Provinc.  
Sax. Assessor. Patr. Consul.

Fide



FIDE Deo, DIFFIDE Tibi, sed FIDERE disce  
Regi: Numen enim non violare licet.  
Illa FIDES animas salvat, facit HÆCCE beatum  
Imperium; Beat hinc omnia sola Fides.

*Huic devotionem suam debitam contestari voluit, debuit*

Johann Philipp, D.

~~~~~  
Jam, COMES ILLUSTRIS, Comes est Comitisque  
PARENTIS  
Suada venusta TIBI. Sit Comes IPSE DEUS!

Ita

PER QVAM GRATIOSE DOMINE  
expectat TE Reducem

AULA PRINCIPUM pro QVIBUS Loqveris,  
atq; TRIBUNAL;  
REDI

PRINCIPI, PATRIÆ, POPULO,

mihiq;

FELICITER!

qvi Indefessos TIBI comites jungam suspiria

ELIAS SIGISMUNDUS REINHART.

SS. THEOL. LicentiatuS.

~~~~~  
Wer so/ wie Albion/ aus Königen Spähne hauen  
Und Fürsten richten wil/ der übet Vater-mord/  
Der jaget alle Treu/Pflicht/Ehr und Glauben fort/  
Was kan vor Völcker-recht man solchen Leuten trauen?  
Ich glaub' Euch/ Junger Held/ verflucht sey meine Rechte/  
So Sie Rebellen-Recht und Sach' iemals versicht/  
Wann Sie das Heiligthum der Majestäten bricht/  
Wann Ich nicht/weil Ich kan/vor meinem Fürsten fechte.

Christian Schweinitz/ Christ-Wachtmeister.

Est



**E**st decus egregium bona quem facundia a-  
dornat:

Egregius Comes hinc, qui egregiâ arte cluis.

*Debita observantia ergò gratulab. f.*

Amadaeus Eckolt, J. U. D. Prof. Publ.

Supremæ Curiaë Provinc. & Fac. Jurid. Assess.

~~~~~  
**U**T nunquam Eloqvii sine laude Potentia par-  
ta est:

Sic Magna Augmenti das elementa Tui.

Ita

Perillustri ac Generosissimo Lynaria Comiti Domino suo gratioso  
Generosa Facundia dicenti omnis ergò subjecto  
adfectu applaud.

J. C. Jäger / J. U. D. Scabin. Elect.

Saxon. Adfessor.

~~~~~  
*Ad Perillustrem & Generosissimum Oratorem*

*Πεσοφώνος.*

**D**um vim defendis Majestati armaq; vulgi,  
Grator, Principibus posse placere viris.

*Christianus Paetbusch / D. Scabin. Elect. Assessor.*

~~~~~  
**S**omnia si fas est Tibi vendere nostra Poëta,  
Audi, quæ nuper sint mihi visa, COMES.  
Dum vigilant reliqui, rapiunt dum verba disertis,  
Sertenti occurrit fabula prisca mihi:  
Porphyrion, Rhæcus, Titania monstra, Typhæus,  
Enceladus, Briareus, centimanusq; Gyges.

E

Horreo,



*Horreo, congestos dum cerno ad sidera montes:  
Horreo, dum cælo fulmina missa volant.  
Dumq; adeò aspicio, veniant quâ fulmina dextrâ,  
Stabas in cathedra Jupiter ecce mihi.*

L. Fridericus Rappolt,  
Poët. Pof. Publ.

*A* *Sferta per TE magnitudo Principis  
Nullo subjectis quæ temeranda modo.  
TE CHRISTIANUS asserat Princeps sibi,  
Et Patris illustris det tueare locum.*

Christian Fridericus *Francenstein*/  
LL. & Hist. Prof. Publ. Collegii Prin-  
cipum majoris collegiatus, alumnor.  
Electoral. Inspector, Academiae De-  
cemvir.

S C A Z O N.

*C*omes, Lufatæ Sidus inclytum terræ,  
Illustre nostris Nomen & Decus Musis,  
Insigne Laudes fortiuntur augmentum  
Tuæ, gravem nobis quod ante Discessum  
Regum Tiaras, purpurasq; suffulcis  
Sermone docto, subditi rebelles ne  
Res hæc sanctas impiâ manu tangant.  
Quod Tuo sic PRINCIPI manes fidus  
Et subditus damnum TIBI dabit nullum.

Sic auguror

M. Johannes Olearius, Prof. Publ.  
Coll, Maj. Pp. Collegiatus.

Latini



Læti applaudimus, & favore tota  
Hæc subsellia jam, Comes, resultant  
Faustis omnibus, cathedra celsa  
Dum sonat generosâ utrinq; voce:  
Declamas etenim, minusq; justos  
Dicis Principibus suis rebelles;  
Triste unde exitium ac malæ ruinæ.

Opes ingenii Tui, Comes, pars  
Laudat; concelebrat polita dicta  
Pars; pars laude vehit perinde corpus  
Venustum bene comitate gratâ.  
Accino meritò vovens, honoris  
Culmen vis animi incluta illa scandat,  
Qui consistere nescit antè clarus!

Gratiosissimo suo Comiti fundebat

M. Valentinus Friderici, Fac. Phil. Assess.

*St hoc artis opus, non quæ iuvat infima vulgi  
Pectora, sed Reges quæ decet atq; Duces,  
Jungere virtuti suadam, quæ nulla sub astris  
Fortior Imperii vis diadema regit:  
Hanc cedo, ut admoveat sceptris, molliq; capistro  
Princeps innumeris gentibus ora premet,  
Et quas auspiciis stygiis Etrusca progago  
Calluit insidias damnaq; despiciet.  
Haut aliter, Generose Comes, tua sceptrâ capeffis  
Virtuti socians Nestoris eloquium,  
Ne dubita, (nam turba favet Permessidos) albo  
Inseret Heroum nomen Apollo tuum.*

G. L. Wurm / Eq. Th.  
So



**S**o wil sein hoher Geist auch in die Höh sich schwingen/  
Mein Hochgeborner Graff/und an die Wolcken dringen  
Durch unverdrossnen Fleiß/durch die gelehrte Schrift/  
Wormit Er iezund sich ein Denckmahl hat gestift  
Bey der Gelehrten Chor: Das heist sich recht bemühen/  
Drumb wird Ihm allezeit erwünschte Ehre blühen/  
Weil Er es rühmlich auch erweist in der That/  
Was Er mit grosser Müh und Schweiß erlernet hat.  
O wohlgesuchtes Glück! wer so durch Fleiß beginnen  
Mit süßer Musen-Milch erfüllet seine Sinnen/  
So geht der Ruhm auch fort/so wird ein Hoher Mann/  
So wächst er durch die Luft/so wächst er Sternen-an.

Solches/vermöge gehorsamer Auffwartung/satzte hinzu

Friedrich von der Schulenburgk.

-----  
**D**ie Tugend/die bey dem Stande steht/  
Hat einen höhern Glantz/als bey gemeinen Leuten/  
Ein Demant pfleget sich auch weiter auszubreiten.

Wann er im schönen Golde geht:

Was an sich selbst schon gut/kan noch viel besser werden/  
Wenn Ansehn/Hoheit/Stand ihm dienen zu Geferten.

Die edle Wohlberedsamkeit

Ist an sich selbst zwar gut/ und nicht genug zu loben/  
Doch wird ihr Ruhm durch nichts gemeines so erhoben/

Als wenn was Grosses nach ihr freit:

Die edle Weißheit zwar läst alle zu ihr gehen/  
Doch wil am liebsten sie bey hohen Häuptern stehen.

Die Rede/die Er/tapffrer Held/  
Zu Lob der Majestät mit grossem Ruhme haltet/  
Ist/wie schön sie sonst ist/noch eins so wohl gestaltet/  
Als weil sie durch Ihn ist gestellt/


Der



Der Pindus kan sich sehr ob diesem Glück ergehen/  
Und wil zu Lohne Ihm ein ewig Denckmahl setzen.

Seinem Gnädigen Herrn zu unterthänigem Gehorsam  
sagte es

B. E. Heyland.



Ihr geliebten Meißner-Linden/  
Nun kan das verjüngte Jahr  
Euer grün-belaubtes Haar  
Schöner umb die Aeste winden/  
Seit Synar in Eurer Stadt  
Seinen Geist erwiesen hat.

Manchmal ist der Frühling kommen/  
Manchmal hat des Winters Leid  
Das beliebte Sommerkleid

Euren Zweigen abgenommen/  
Da kein solch berühmter Geist  
Euch zu Lieb ist her gereist.

Fragt den Sitz der weisen Lehrer/  
Der die Pfoften gleichsam lenckt/  
Und den werthen Gast empfängt.

Fragt die höchst-berühmten Hörer/  
Ob es neulich sey geschehn/  
Daß man so ein Liecht gesehn/

Denckt/wie Er die Worte setzet.  
Und in dem Er trefflich viel  
Euch mit kurzen zeigen wil/

Das Gehöre zwar ergetzet/  
Doch den allergrösten Rest  
Klugen Sinnen überläßt.

Schreibt den ruhm-bezierten Namen  
Euren Rinden ewig ein/

S

Und



Und verehret Euren Schein/  
Bis die Tugend ihren Saamen  
Der annoch die Blüthe liebt/  
Reiffe Wachsthumbs-Kräfte giebt;

Und versichert Euch indessen/  
Eure Freude war sein Fleiß/  
Sein Studiren Euer Preisß/

Also wird Er nicht vergessen/  
In dem höchsten Ehren-Schein  
Euer ingedenck zu seyn.

Treibt die Knospen/ziert die Aeste/  
Macht die schwachen Blüthen bloß/  
Und die kleinen Blätter groß/

Schmücket Euch auff's allerbeste/  
Denn so ein erwünschtes Licht  
Scheint Euch alle Tage nicht.

Zur Bezeugung unterthäniger Schuldigkeit schrieb dieses

Christoph von Borne/  
Nob. March.

Als ist der steiffe Grund/ auff welchem alle Rechte  
Der Obrigkeiten ruhn/ und welcher das Geschlechte  
Der Fürsten stützen muß; daß sich ein Unterthan  
Der Obrigkeit durchaus nicht widersetzen kan.  
Disß ist das beste Band/ Behorsam zu erhalten/  
Disß läst die treue Lust zu dienen nicht erkalten/  
Durch dieser Sazung Krafft wird das getreue Land/  
Als eine Sonnenblum der Sonnen zugewand.  
Drumb muß ein tapffrer Sinn an solchen hohen Sachen/  
Wenn er sich üben wil/ den Anfang billig machen/  
Voraus wenn er der Welt das vorgesteckte Ziel/  
Den Häuptern seinen Wunsch v. Hoffnung zeigen wil.

Ihr/



Ihr/die Ihr iezund hier die Meißner-Pierinnen  
Durch Euren Fleiß beehret/kompt/seheth diß Beginnen/  
Und prüft den hohen Geist/doch saget diß darben/  
Daß Er den Göttern selbst zu dienen würdig sey.

Dieses setze zu schuldiger Ehrenbezeugung

Adrian Adam von Stammer.

In Tugendhaffter Geist/wenn er sich das Geblütthe  
Der Eltern rühren läst/und sein erhist Gemütthe  
Der Eitelkeit engeucht/so setz er sich kein Ziel/  
Und geht so weit der Fleiß des Lebens gehen wil.  
Er hat nicht gnug daran/ob Er des Standes Ehren  
Gleich als ein Erbtheil hat /er wil sie selbst vermehren/  
Und wie ein Adler sich der hellen Sonnen zeigt/  
Wenn er das Nest verläst/und in die Wolcken fleugt:  
So setzet er den Flug der hurtigen Gedancken  
Auf Liecht-beflamten Ruhm/und reißt sich durch die schranckē  
Der Blödigkeit hinweg/denn er hat Lust daran/  
Daß ein gemeiner Geist ihn nicht einholen kan.  
Seht diesen Herren an/die ihr pflegt sonst zu sagen/  
Der Adel könne sich mit Büchern nicht vertragen/  
Seht/wie die Wissenschaft/die er mit Ernst geliebt/  
Ihm zu beliebter Lust ein schönes Zeugniß giebt.  
Die Welt versteckt es schon/was er in seinen Büchern  
Bissher gesucht hat /und wie wir uns versichern/  
Er werde mit der Zeit als ein erwünschtes Licht  
Den Fürsten dienlich seyn/so halten wir uns nicht.  
Wir wünschē Glück darzu/könt ich die Worte setzen/  
So wolt ich ihm zu Dienst mich recht glücklich schätzen/  
So sag ich nur ein Wort/Herr/bleibt euch allzeit gleich/  
Und streitet umb den Preis der Ehren nur mit euch.

Aus höchster Schuldigkeit und wohlgemeynter Freundschafft  
setze dieses

E. I. V. K. N. P.  
Ultima



**U**ltima laus non est, si, quem Generosa Propago  
 Extulit, atq; ardens erexit ad aethera Virtus,  
 Cecropia egregiis madidum Latiaq; Minerva  
 Artibus, atq; aliis: certè fert omnia puncta.  
 Te, Comes, Illustri qui stemma ab origine ducis,  
 Te volo: Te Pallas doctis nutrit in antris,  
 Te sacro à teneris aluerunt lacte Camæna,  
 Doctus adhuc vario Te nectare potat Apollo.  
 Propterea alta feris sublimi sidera cæli  
 Vertice, doctorum volitasq; per ora Virorum.  
 Gemma\* literæ erunt, si porro strenuus illas  
 Tractaris, Comes ò comis. Sit vivida Virtus!  
 Aure capace etiam Tua Vota Precesq; POLARCHA  
 Imbibat, ac placidus mentem placidam atq; quietam  
 Quæ jus humanum Diuinq; intelligat, usque  
 Ad finem vitæ Tibimet concedat ab axe,  
 Ut, quando dulcem Tibi cunq; relinquere vitam  
 Precipiet, cum laude Viri famamq; decusq;  
 Factaq; perpetuò celebrantes carmine maectent.

\* Literæ plebejæ  
 sunt argentum,  
 Nobilibus Aurû,  
 principib; Gem-  
 maz.

Johannes à Felde.

F I N I S.





KD 17





FA 117 1532

MC



tis partem Me succedere jusfit. Imparem quidem  
 ob annos, & qui mensuram patriarum virtutum  
 officiorumque in  
 tamen & cultu  
 cuiquam homin  
 cessurum. Qu  
 gibus & aqua m  
 Dii quoque non  
 faliente micâ su  
 fore ut hæc stu  
 matura, & styli  
 antur, quo affec  
 desiderium con  
 genua Tua devo  
 ut tollere digne  
 Veneror infini  
 Domine, cum  
 incolumem diu  
 demque virtutum  
 ratur, æternâ gl  
 XIII. Cal. Maj.

*Reverendiss. Seru*



**CASI MIRUS**  
 Comes Lynariæ.